

V. U. nem, Inklus:
Amica Fortiaing

1717



4

I

D
PA

P 532

Ma



4

13

OMINA TROSTIANA,

QVIBVS

DE CLARIS TROSTIIS
ET DOMEIERIS

SIMVL AGITVR;

IN HONOREM CONIVGII

VIRI PL. REVERENDI,

DN. IO. CHRISTIANI TROSTII,

PAST. PROPE GOETTINGAM ELLIHSV. ESEBECC.
ET KNVTTB. VIGILANTISSIMI,

ET

LECTISSIMAE VIRGINIS,

MARGARETHAE REGINAE

DOMEIERIAE,

B. HENRICI DOMEIERI,

V. D. M. QVONDAM GOETTINGENSIS MERITISSIMI,

FILIAE NATV MAIORIS,

GOETTINGAE D. A. O. R. MDCCXVII.

CVM DOMINO INEVNDI,

GRATVLTATIONIS ET MEMORIAE CAVSSA SCRIPTA

A

Io. Ivsto von Cinem,

PAED. BERG. MAGD. RECT.

NEO-MAGDEBVRGI,

TTPIS CHRISTIANI LEBERECHE FABRI.



p 532.

Ma 3667

VIR PLVRIMVM REVERENDE,
AVVNCVLE DESIDERATISSIME.

Nomen & omen habes: quod laetus, AVVNCVLE, scribo,
Dum thalami tandem vincula rite subis.
Nam Tu TROSTIADYM gentem solaris, vt illa
In Te haud exspiret; sic statuente Deo!
Vt potius surgat felici fidere florens,
Numinis & laudes amplius ore canat.
Vt bene pascat oues diuini dogmate verbi,
Languida quod solum pectora nostra leuat.
Plaudo tuis taedis: a) fero vota, precesque beato
Coniugio dignas, officioque meo.
Coniugium Vobis faustum fit Numine Christi,
Inque Deo sit mens vna, sit vnus amor.
Vos iubeat laetos multa ditescere prole,
A Quo coniugii lex veneranda venit.
Inprimis vegetos gignant connubia natos,
Gaudia qui Vobis non fugitiua creent.
TROSTIA gens vigeat; stirps DOMEIERIA viuat;
Vt genus aeternum viuat vtrumque, precor!

Acci-

a) Taedae seu faces numero erant quinque, nec plures, nec pauciores, vt scribit Plutarchus; factae ex pinu, spina alba, variisque arborum generibus. Plinius quidem primum facibus nuptiarum auspiciatissimam fuisse scribit; suis tamen temporibus carpinum & corylum facibus familiarissimas fuisse, subiicit. Taedas lucernasue fuisse etiam apud Iudaeos adhibitae, ostendunt quoque virgines, quae cum lampadibus sponso occurrunt, quaeque media nocte audiunt: ecce sponsus venit. Matth. XXV, 6. Vid. Io. Mich. Dillherri diff. philol. de antiquo ritu nuptiarum.



Ccipe, quo soles, adfectu beneuolo facili-
que manu, a Musis nostris breuem hanc-
ce elegiam, omina, Tuo sub nomine la-
titantia, referantem, nuptiisque sacra-
tam tuis. Quæcunque in iis a Deo im-
mortali precatus sum, pro paterna sua
clementia rata habeat, & eiusmodi, se-
cundum sanctam voluntatem suam, de sanguine tuo oriri
finat liberos, qui Maiorum expressam pietatis, virtutis &
eruditionis imaginem repræsentent. A parte tua tales,
posteris in exemplum commendandi, fuerunt sequentes:
REINHOLDVS TROSTIVS, Alfeldensis, Poëta non
inelegans, Rector primum in schola patria, deinde A-
melunxborni, tandem Altendorpii Pastor. Varia illius
scripta litteraria ἀνέκδοτα possides: inter quae etiam ipsius
vitae curriculum, quod ipse ligata oratione memoriae pro-
didit, delitescit, dignum, quod lucem adspiciat. Namque
cum viris eruditis multum versatus est, & Academias, quas
Germania sustentat & alit, peragravit fere omnes: id quod
inter alia vel liber ipsius hodoeporicus, a) vt vocamus,
quem benevole mecum communicasti, satis testatur. In-
dicauit hoc ipso grauiorem suam indolem; cuius proprium
est, domi non residere, vel adfixum esse terrae suae; nisi
aliae rationes hoc suaserint. VITVS TROSTIVS, Al-
feldensis, Patris in Poëseos & elegantiorum litterarum
cultura aemulus, vt monumenta ejus, quae in scriniis tuis
pariter latent, testatum faciunt. Hic auus tuus paternus
fuit, qui cum Martino Trostio, quem statim recensëbimus,

):(2

com-

a) De horum librorum vtilitate vid. Diss. Gottfr. Gottschlingii
Lipsiae habita A. MDCCIII.

commercium aluit litterarum, iisdem quippe studiis innutritus. Pastor primum Garnshemii in Episcopatu Hildesheimensi extitit; deinde autem illic, ubi locorum nunc & Tu, post ipsum etiam B. Parentem, quae diuina est benignitas, munere Pastoralis fungeris, sacro gregi praefuit. 10. TROSTIVS, Alfeldensis, Reinholdi superioris, proavi tui frater, primum per annos XXV. Rector, deinde per totidem annos Pastor fuit Huxariae, ubi Formulae Concordiae subscripsit. Hic in Graecis praesertim fuit versatissimus, in quibus etiam nonnulla euulgauit. MARTINVS TROSTIVS, huius filius, Huxariensis, die tertio nov. A. MDLXXXVIII. natus, linguas docuit Orientales: initio quidem in Collegio Principatus Anhaltini Cöthenensi; deinde in Academiis, Julia, Sorana, Rostochiensis; tandem ab anno MDCXXIX. in Wittebergensi surrogatus in locum Praeceptoris sui vita defuncti, Laurentii Fabricii, Prof. Lingg. O. O. Obiit A. MDCXXXVI. d. 8. Apr. festinante mortis imperio, aetatis XLVIII. Buchnerus, qui ipsius fuit collega & σύγγρονος merito ipsum commendat ob insignem L. L. O. O. cognitionem, qua paucissimos æquales, vix quenquam superiorem habere videretur; singularem solertiam, & quoddam quasi peculiare artificium eas docendi; ac denique immensa ob merita. Wolfgangus Frantzius b) cujus commentarios quosdam in libros V. T. nondum iuris publici factos, possides, eum studiorum adhuc cultorem, iuuenem L. L. O. O. cupidissimum & peritum nominavit, postea vero Collegam dilexit coniunctissimum. Antonius Reiserus c) illum Virum ad linguae sanctae culturam natum & diuinitus excitatum, quem Praeceptorem habuisse non pauci eruditorum sibimetipsis
fint

b) in schola sacrif. diff. X, §. 82.

c) in memoria Gesiana.

sint gratulati, salutat. Quod ad scripta ipsius, attinet, Gram-
matica ipsius, iudice Augusto Pfeiffero, d) ceteris omnibus
praefenda est, nec ulla, siue dexteritatem methodi, siue
certitudinem regularum, siue denique perfectionem confi-
deres, Trostianae huic anteponenda. Haud ignoro equidem,
nonnullos imperfectionis & confusionis eam postulasse:
qui tamen ab eodem Pfeiffero e) solide satis refutati sunt.
Versionem N. T. Syriacam, istorum temporum usui satis ac-
commodatam, ipsi debemus. Lexicon ipsius Syriacum, vt
Io. Tarnouius f) egregium & concordantiarum instar esse
censet, ita modo laudatus Pfeifferus g) consummatissimum
ad vsum N. T., nisi particulis destituatur; fore iudicat.
Concordantiae ipsius particularum S. Codicis Ebraei, du-
rante vita, saepius promissæ (quoad Pfeiffero fides habenda,
) adfectæ quidem, sed ad finem haud perductæ, a mu-
ribus deinde magnam partem dilaceratae, laudantur a Vi-
ris laudatissimis. h) Mentionem M. Trostii qui faciunt,
quorum sunt oppido multi i) scripta eius maiora ordine
):(3 qui-

d) in introd. ad orientem Dissert. III. p. 44. e) in epist.
quadam anno 1667. ed. p. 7. seq. f) in exegeti horta-
tionis Apostolicae Act. III, 19. §. 24. g) in introd.
ad orientem Diff. II. p. 25. h) Io. Buxt. in praef. Con-
cord. p. 9. Hötting. p. 11. Bibliothecae quadrip. p. 171. Tho-
mas Bangius in coelo orientis p. 140. Hic reliquiarum
earundem possessor fuit. Christoph. Nolodius in praef.
sui de iisdem particulis opusculi. Aug. Pfeiff. in consult.
de novo Lex. Bibl. p. 13. i) Gottfredus Sueuus, & Andr.
Sennertus, qui testantur, quinam dies ipsi emortualis fue-
rit, a nonnullis in dubium vocatus. Buchnerus in progr.
exequis eius & vxoris scriptis. it. vol. II. diff. acad. n. 59.
p. 304-309. & num. 108. p. 569-578. König in Bibliotheca
vet. & nova p. 819. Draudii Bibliotheca classica p. 60. & 361.

quidem recensuerunt, non æque minora: qualia sunt dis-
sertationes varii argumenti philologici & exegetici. Quae-
dam nuper in conspectum meum venit, nondum a quo-
quam, quod sciam, memorata, quae inscribitur: decas
thematum Ebraeorum; in qua varia dicta explicantur &
vindicanur. Prodiit Witteb. 1629. Complures libri, qui
Mart. Trostio in litteratura Orientali ad manus fuerunt,
in Summe Reverendi Daffovii, eodem munere quondam in
academia Witteb. & post Kiloniensi fungentis Bibliotheca,
vt cognovi, conspiciuntur, felices iudicandi, quod magni
nominis philologo rursus inseruiant. Ceterum ex insti-
tuto vitam M. Trostii nobis dedit REVERENDISSIMVS
Abbas D. I. I. Breithaupt A. MDCCXI. IO. LVD. OV. TROSTIVS,
Wittebergensis, magni Patris filius non inferior, omnium
gratiarum atque omnium artium adolescens, qui, vt prae-
coci ingenio fuit praeditus, & quasi ante florem fructus
tulit, Parenti vtique in L. L. O. O. studiis palmam fecisset
dubiam, nisi morte fuisset praeuentus, Parenti tum nimis
acerba. Praeter memoriam ipsius ab Aug. Buchnero pu-
blico programmate integram seruata, laudes ipsius Mich.
Beh-

Henn. Witten, qui progr. Buchn. & indicem scriptorum
exhibet. Decad. III. memor. philosoph. renov. p. 381. 385.
& T. I. D. B. ad annum 1636. Andr. Sennertus in Athenis
Witt. L. I. p. 129. 145. 146. 149. L. II. p. 261. Baldovius in
praef. medullae Graecae, Ebraeae, Buxtorffio - Erpenio-
Trostianae praefixa Lips. 1636. 4. M. Andr. Mylius O. O.
L. L. in acad. Regiom. in consilio de studio Ebraico bene
instituendo, ac manu ductione in Grammaticam Trostianam
ao. 1648. Andr. Müllerus in diss. de Syriacis libb. sacrorum
versionibus; Symbolis Syriacis inserta. Hötting. Biblioth.
quadrip. c. III. p. 145. Gutbirius in praef. suae editionis N. T.
Syr. M. Io. Christoph. Wolfius in Hist. Lex. Ebraicorum

Behmius & Henr. Alberti 1) versibus Germanicis pleno ore decantant. Alter IO. TROSTIVS, Hildesienfis, erat Parens tuus, auus meus maternus, dum viueret, longe dilectissimus, tuusque in munere antecessor, totius inspectionis Hardegfensis ministerii a compluribus annis Senior, & Pastor vltra semisaeculum meritissimus, anno MDCCXI. placide defunctus, aetatis LXXXIV. Vir fuit, praeter sacrarum litterarum notitiam, humaniorum, imprimis Mathematicarum & poeticarum deliciarum callentissimus; ideoque intimus quondam B. Henr. Tollii, id temporis Paedagogiarcae Göttingensis celeberrimi, amicus; qui ipsum etiam, quod adolescentes nobiles & ignobiles optimis artibus & scientiis imbuens, horum in gratiam propriam scholam constituerat, collegam suum nominavit: quem titulum & in litteris, quas ad se inuicem exararunt, deprehendi. Binis idem Abbatibus, Io. Iacobo & Christiano Spechtiis perfuit carus, vt litterae ipsorum ad eum scriptae testantur. Memoriam ipsius fusc recoluit Vita supra laudata Martini Trostii. Illius vero vitam, Germanico quidem, sed nitido stylo, descripsit Io. David Schreiber,

p. 160. 175. 177. Herm. von der Hardt, cui Trostius est in delictis, in praef. praemissa fundamentis Ebraicis. Alb. Bartholinus in Danis p. 32. Biblioth. septentr. eruditia Io. Möllero edita Lipsiae 1699. p. 100. eiusque hypomnemata pauca e plurimis selecta p. 381. seq. Iac. Martini in praef. in N. T. Syr. Trostii. Martinus Bohemus in Gramm. Ebr. Willh. Schick, in horolog. Ebr. passim circa peculiare observ. Sontag Prof. Altorff. in diff. mic. XX. e N. T. Syr. collect. continente p. 15. Io. Ern. Gerardus in dedic. praefixa novae edit. instit. Schick. Lippenius Bibliotheca Theol. p. 385. Iac. Wellerus in praef. novae edit. Gramm. Trost. Edmund. Castell, in praef. Lex. Heptagl. b) in Artibus ita dictis p. 2. Ar. 3.

ber, Pastor quondam Göttingensis in aede S. Albani; qui reliqua simul scripta funebria adiecit, typis exscripta Göttingae MDCCXI. VITVS TROSTIVS, Hildesiensis, vir ex- titit & doctrina & virtute, dum viueret, ornatissimus, Graecarum praecipue litterarum callentissimus. Etiam si is munere publico, quod toties oblatum declinauit, fun- ctus non sit: tempus tamen in formandis iuuenum inge- niis per omnem vitam optime collocauit. Scripta reli- quit varia in prosa & ligata oratione, quae cuidam cogna- torum, eidemque filio lustrico, in hereditatem cesserunt. Memoriam ipsius B. Parens meus epicedio quodam custo- diuit. E vita excessit Ellihusae d. 12. Iun. MDCCII. IO. HART- MANNVS TROSTIVS, postquam studium Iuris gnauiter excoluerat, iudicium militaribus praefectus, in ipso aetatis flo- re extinctus est. Poesin habuit in deliciis. Sequitur IVST. GEORG. TROSTIVS, Ellihusanus, frater tuus Germanus, natu maior: antea v. d. m. Buchenauiae, hodie Eifenbaci, qui locus est Illustrium Baronum de Ridesel: praeter sacrarum litterarum cognitionem, historiae in primis & Matheseos optime gnarus. Viuit quidem hic in coelibatu; sed, dum praeter labores ecclesiasticos, generosae iuuentuti quoque, B. Parentis praeclaro exemplo, institutione praeit, fructus vtriusque operae experitur dulcissimos. Deus illum ser- uet! Tantum de agnatione tua! Fama quidem ad nos per- tulit, cognatam adhuc familiam Trostiorum in Thuringia & Saxonia superiori degere, pariter in Ecclesiastico Ministerio constitutorum, quorum parentes fuere ger- mani fratres, iidemque ambo praefecti Politici, vnus Zellenfis sub Dominio Schwartzburgico, alter Walken- redensis prope Elricam: qua vero ratione isti ad Maio- res vestros Altendorpienses & Huxarienses pertineant, equidem adhuc ignoro; quanquam ex illis fuit, qui exi- stimaret, Martinum Professore habuisse fratrem Iohan- nem

nem, & quidem Pastorem, a quo hi Praefecti duo orti sint. In Chronico Walckenredensi, quod edidit Eckstormius, mentio fit IO. TROSTII, Elrichiensis. Rinthelii disputavit a. 1676. Praefide Henrico Vagedes, de Cathedra Romana S. Petri, IO. MART. TROSTIVS. Anteduos, & quod excurrit, annos, alius IO. MART. TROSTIVS, Posonio-Hungarus, praefide Dn. D. Stahljo celebratissimo, Potentissimi Regis Borussiae iam Archiatro, Halae dissertationem habuit Inauguralem Medicam de Febri per se nunquam lethifera. Extremus certe dies docebit, quo nexu tot rami & propagines, sicuti nominibus congruunt, ex vna arbore ac radice effloruerint.

Iam ad optimos, nec minoris famae & meritorum, maiores sponsae tuae Domeieriae, & Theologos & Politicos, propero: quos isto quidem, quo celebrati sunt ordine, Tecum lubens communico. Primas inter eos, vt primus ex iis, qui noti sunt mihi, obtinet ANDR. DOMEIERVS, primus in Ducatu Grubenhagenensi Sup. Generalis, ab ipso Luthero commendatus. Post Eum extiterunt sequentes. IVSTVS DOMEIERVS, praefectus Ducis Brunsv. & Lün. in ditione Westerhofensi. WOLFFGANGVS DOMEIERVS, Pastor Gladbeccensis, qui cum Letznero vno vixit tempore, & inter alia, sua conscriptam manu, reliquit narrationem de Dominio Plessensi, Gladebeccensibusque bonis. MELCHIOR DOMEIERVS, ICtus & Praetor. Huius filius fuit B. focer tuus, HENRICVS DOMEIERVS, ecclesiastes, iisque recti exempli, in aedibus B. Virginis & Crucis, vrbis Göttingae, in qua Matthias Caselius, Ioannis, eloq. Prof. Academiarum quarundam, Pater, muneri quondam ecclesiastico praefuit. Diem obiit supremum in ipso aetatis vigore, anno MDCXCV. d. 21. Apr. Memoriam ipsius B. Prof.

):():(

Drans-

Dransfeldius programmatae funebri, & B. Parens meus
epicedio extare voluerunt. Vnicum quidem reliquerat
optimae indolis filium, sed cum ipsius morte linea haec
expirauit. Tua per illius sororem, quae Dei erit boni-
tas, quippe Qui vnā familiam occidere, alteramque
oriri finit, instaurabitur. Ante dicti templi S. Crucis ho-
diernus pastor est HENR. CHRISTOPH. DOMEIERVS,
B. foci tui agnatus plurimum reuerendus, cuius Pater
ante aliquod tempus Camerarius fuit Göttingae & Ictus.
In ipsius introductionem B. Dransf. epistolam gratulato-
riam, de hoc templo antiquissimo, & eius sacerdotibus,
lectu dignam, exarauit. Plures & huius nominis fue-
runt, vt PAVLVS CHRISTIANVS DOMEIERVS, cuius
filius Seesiae, quae oppidum est Ducatus Wolfenb. Dia-
conus fuit; & ESAIAS DOMEIER, Radolphshufanus, S.S.
Theologiae Cultor, cuius mentio fit in Chronico Wal-
ckenred. supra citato, ab anno MDCIII. Hodienum in
vuis est familia quaedam Domeieriana Hardegisae, quae
oppidum est Ducatus Göttingensis, ex qua Pater a mul-
tis annis Consul illius est meritissimus; filius natu ma-
ximus, I. F. DOMEIER, Pastor non procul ab vrbe Re-
giomonti, meus quondam in Scholis & Academiis com-
milito, Vir ob scientiam & conscientiam rectae voluntatis
Deo & hominibus probatus: hi vero qua propinquitate
B. foci tui familiam contingant, de eo nondum certior
sum redditus.


Habes, AVVNCVLE DESIDERATISSIME, quae
in nuptiarum tuarum solemnitatem, pro amore, quem de-
beo Tibi, (vtpote cui plurima fero accepta, quae publice
praedicare, nullus dubito,) scribenda iudicavi. Miraberis
fortean, qui in hanc commentationem inciderim, vt pa-
ternos Maiores, tam tuos, quam Sponsae tuae, in vitam
reuo-

reuocem: scias vero, me intermittere hoc ideo non potuisse, quia ipse, familiae tuae pridem agenti animam, nuptias celebrando, videris vitam reparare. Scio equidem Te non admodum curare genealogias istiusmodi, vt obicere mihi posses verba illa Salomonaea: m) omnia sunt vanitas. Quid emolumenti est homini e toto labore suo, quo laborat sub sole? Generatio vna abit, & altera accedit. Et inprimis illa Pauli, quae ad Timotheum scripsit: nec attendant animum Genealogiis; & ad Titum: genealogias cohibeo. n) Verum ad prima regero, quae in Syracide o) legimus: ad altera, quod de *Iudaicarum* abusu tantum intelligenda sint, non de quouis genealogiarum usu. Huius rei testem adduco Aegidium Hunnium, qui praeclare in Apostoli Paulina ad Timotheum verba: dum videlicet, inquit, conuersi Iudaei superstitione inquirunt, ex qua tribu quisque originem ducat, vt, de genere suo superbiat. Olim quidem, stante nimirum, adhuc politia Mosaica, perquam utilis erat distinctio Genealogiarum: nimirum ad conseruandam distinctionem, agrorum & possessionum, quae singulae singulis tribubus, in diuisione terrae erant adsignatae: similiter, vt perspicuum foret, quinam essent admittendi ad obeunda munia sacerdotalia: maxime vero, vt constaret, e qua tribu, venturus esset Christus. Iam vero postquam Christus, venit, & sacerdotium illud vetus antiquatum ac abolitum, & politia Iudaica euerfa est, omnis etiam usus genealogiarum *Iudaicarum* expirauit. Generatim acceptae Genealogiae, siue Principum, nobilium & illustrium, siue aliorum si conseruentur, habent suum usum, praeter rationes

m) Eccl. c. I, 2. 3. 4. n) i. Tim. I, 4. Tit. III, 9. o) XLIV, 1-15.

rationes a Syracide adductas, propter hereditates, propter incitamentum posterorum, ut maiorum virtutes imitemur, & quod maximum, Deo pro beneficiis, quae per ipsos in ecclesiam suam & remp. contulit, gratias agamus. Legimus apud ipsum ethnicum Diodorum Siculum, ex Laurentii Rhodomanni versione: Aequum est, simulque vitae communi conducibile, bonos aeternis, commendatos laudibus illustrari. Nam maiorum emulatione & memoria posteritas ad communem beneficentiam incitatur. Cum his conueniunt Salustiana p) illa: saepe audiui ego, Q. Maximum, P. Scipionem, praeterea ciuitatis nostrae praeclaros viros, solitos ita dicere: Cum maiorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem incendi. Scilicet non ceram illam, neque figuram, tantam vim in se habere: sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere; neque prius sedari, quam virtutes eorum famam atque gloriam adaequauerit. Haec dubiorum solutio Tibi procul dubio faciet satis. Ita nihil superest, nisi ut ex animo votum repetam, nempe, ut ex hoc tuo, quod inis coniugio, multi adhuc eruditi prodeant TROSTII, qui, ut nomen habet, multum Ecclesiae et Reipublicae solatii adferant. Bene vale dulcissime mortalium, & nouo isto amore amori tuo erga mesolito nihil detrahe! Deproperabam e coenobio Bergensi Parthenopolitano d. A.O.R. MDCCXVI.


p) Vid. Salust. ex recensione I. F. Gronovii cum variorum observationibus ab Ant. Thyffio collectis p. 197. seq.



Ma 3667

X 2518457





inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

4

13

NOMINA TROSTIANA,
 QVIBVS
**DE CLARIS TROSTIIS
 ET DOMEIERIS**
 SIMVL AGITVR;
 IN HONOREM CONIVGII
 VIRI PL. REVERENDI,
DN. IO. CHRISTIANI TROSTII,
 PAST. PROPE GOETTINGAM ELLIHVS. ESEBECC.
 ET KNVTTB. VIGILANTISSIMI,
 ET
 LECTISSIMAE VIRGINIS,
**MARGARETHAE REGINAE
 DOMEIERIAE,**
 B. HENRICI DOMEIERI,
 V. D. M. QVONDAM GOETTINGENSIS MERITISSIMI,
 FILIAE NATV MAIORIS,
 GOETTINGAE D. A. O. R. MDCCXVII.
 CVM DOMINO INEVNDI,
 GRATV LATIONIS ET MEMORIAE CAVSSA SCRIPTA
 A
Io. Ivsto von Einem,
 PAED. BERG. MAGD. RECT.
 NEO-MAGDEBVRGI,
 TYPIS CHRISTIANI LEBERECHE FABRI.

P 532.

Ma 3667

